



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam  
expetiuerunt. iiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

ptione detectus fuerit: attigisse transgressionē, excommunicationis censuram accipiat, & religioni semper inhereat.

*De virginibus quæ sponte, non coactæ parentum imperio, habitum religionis susceperunt. Cap. II.*

*Ex decr. Leonis papæ. c. 17.* **P**Vellæ quæ non parentū coactæ imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositū atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prauaricantur, etiam si nondum eis gratia consecrationis accessit. Cuius utiq; non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.

*De illis qui se ante legitimos annos totonderunt, & velauerunt. Cap. III.*

*Ex cōcil. Mogūti. cui inter fuit Carolus imperator & Ricolphus archiepiscopus in claustro S. Albani, ca. 20* **S**I quis ante annos legitimos tonsuratus est sine consensu parentum suorum, & si ipsi parentes infra annum nō se reclamauerūt ad principē, aut ad proprium episcopum, aut ad missum dominicum, in ipso clericatu permaneat. Si vero post legitimos annos per vim clericus factus est, & infra annū ad sup memoratas personas minimē se reclamauit, ita in clericatu permaneat, sicut is, de quo superius dictū est. Si vero præfata personæ infra annū reclamationem fecerunt, hi qui eos clericos fecerunt, ipsis siue parentibus eorū hoc per legem exoluant, quod contra eos cōtraxerunt. Ille verò qui ante legitimos annos tonsuratus est, vtrū in eadem tonsura permanere debeat nec ne, in potestate sit parētū. Si verò is qui tōsuratus est, alicuius seruus fuit, dño per legem emendetur, qui quid de eius seruo contra eum contra actū est. Ille verò qui tōsuratus est, vtrū in eadē tōsura permaneat, in potestate sit dñi sui. Si verò hi qui liberi sunt, ante legitimos aut post legitimos annos, hoc modo, sicut superius taxatū est, tōsurati sunt, & ad gradus Ecclesiasticos puenerint, in eisdē gradibus perseuerare cogantur. Si verò seruus, qui superius taxato modo tōsuratus est, & ad gradus Ecclesiasticos puenerit, dño suo per legē emendetur, & ei redditus in suo gradu permaneat. Hoc & de velandis puellis obseruandum est.

*De illis qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiuerunt. Cap. IIII.*

*Ex cōcil. Chalced. cap. 7.* **Q**VI semel in clero deputati sunt, aut monachorū vitam expetiuerunt, statuimus neque ad militiā, neque ad dignitatē aliquam venire mundanam: sed hoc tentantes & nō agentes pœnitentiā, quò minus redeant ad hoc quod propter Deū primitus elegerūt, anathematizari.